

Dissertatio medica inauguralis de opobalsamo / [Johann Samuel Heinsius].

Contributors

Heinsius, Johann Samuel, 1691-
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Wertherianis, [1717]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ctrpvbht>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

34353.
W439
2. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

OPOBALSAMO

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

WILHELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
WESTPHALIAE ET RELIQUA

SVB PRÆSIDIO

IOANNIS HADRIANI SLEVOGTII

HEREDITARII IN Ober-Rosla

MED. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P. ITEMQVE MED. DVC. PROV.

ACADEMIAE H.T. PRO-RECTORIS

PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SVI VENERANDI
PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI

SOLENNI PHIATRORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR

IOANNES SAMVEL HEINSIVS

LONGOSALISS. THVRINGVS

AD DIEM XXX SEPTEMBRIS MDCCXVII.

IN AVDITORIO MEDICO

HORIS ANTE ET POST MERIDIANIS

I E N Æ

LITERIS WERTHERIANIS.

LXIII.

4 pl





PRÆFAMEN.



Um, post absolutum in hoc Musarum domicilio cursum academicum, reliquas Saxonix Academies, & imprimis Dresdam, sedem illam regiam longe celeberrimam, adirem, ibi inter plurima alia, visu & notatu digna, in pharmacopolio aulico visui oblata est lagena plumbea, balsamo de Mecha olim plena, quæ AVGVSTISSIMO REGI, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO, ab Imperatore Turcico, inter alia munera splendida non ita pridem donata fuerat. Ipsa lagena, rudi Minerva elaborata, triumque librarum & ultra capax, erat rotunda; cujus orificium, orbe magno circumdatum, calamus scriptorium vix admittebat, cui sigillum Imperatoris Turcici, ne fraudi locus daretur, impressum fuerat. Cum desiderantis balsamum illud visui gustuique offerretur, præstantiam ipsius probe deprehendi, & donum illud regium miratus sum.

Ex illo tempore aliquod in hoc balsamo collocavi studium, & non minus nova, quam antiqua de hoc evolvi

scripta, non quidem eo animo, ut aliquid de illo juris publici facerem, quam ut me ipsum de natura & virtutibus illius plenius informarem. Cum vero jam thema aliquod ad dissertationem inauguralem desiderarem, non putavi, me melius invenire posse, tam ob balsami hujus sŕavitatem, & vŕsum certe polychrestum, quam ob materiæ raritatem. Ut itaque SUMMUM NUMEN laborem meum qualemcunque ita fortunet, ut omnia vergant in sui nominis gloriam, & ægroti proximi salutem, supplicibus peto precibus.

CAP. I.

Existentiam, Nomina, & definitionem Balsami & Opobalsami sistit.

§ I.

PRimo omnium perquirendum esse duxi, an balsamum ejusque succus, de quo in præŕsenti agendum mihi est, adhuc sit in rerum natura. Huic labori certe supersedere potuissem, nisi contradicentem haberem Nicol. Monardum, qui balsamum verum periisse scribit. Sic enim cap. 9. Historiæ simpl. Med. novi orbis, quæ Clusio librum X Exoticor. constituit ipsius verba se habent: *Multis jam annis periit balsamum illud, quod in Ægypto nasci solebat, nec usquam gentium amplius invenitur.* Sed cum assertum hoc non modo divinæ providentiæ, omnium specierum creatarum conservatrici, sed & tot virorum testimoniis, ocularique inspectioni Alpini, qui per novem annos hoc balsamum ejusque naturam indefesso indagavit studio, contrarietur, merito illud cum Clusio rejicio, qui in Scholio ad l. c. ita loquitur: *Falleris Monarde; nam Arabia felix, quæ sola balsami plantam.*

plantas ab omni ævo protulit, & adhuc profert, legitimum balsamum præbet.

§ II.

Nomen vero BALSAMI, si quis paulo accuratius considerare velit, facile id neque latinum, neque græcum esse deprehendet. Quanquam enim non desint, qui id ἀπὸ τῆς βαλῆς καὶ ἀμᾶθαι ut divinam messem, seu coelitus datam denotet, derivare velint, quivis tamen, vel leviter litteris imbutus, videt, illam etymologiam minus huc quadrare. Cum enim ipsa materia, ante harum gentium tempora, apud orientis populos nata, & in usum vocata fuerit, ab istis etiam primam ejus appellationem expectandam esse, verosimile videtur. Hinc, cum neque Latium neque Græcia, sed Arabia genuina patria balsami semper fuerit, & adhuc sit, duplicem in hæbræa, ceu potiori inter orientales lingua, ejus originem deprehendo. Prima satis ingeniosa est, cum a nomine בַּעַל & מֶשֶׁךְ deducatur, ut *Dominum unguentorum, unguentumque optimum & præstantissimum* significet; quam celeberrimus Borrichius etiam in lingv. pharmacop videtur approbare. Conferatur quoque Illustr. Wedelius in Pharmac. acroam, sub tit. Balsami, & C. Hofmannus, de medic. off. lib. 1, c. 30. Altera non minorem applausum meretur, itidem בַּעַל & מֶשֶׁךְ desumpta, ut *principem aromatum, & imprimis gummatum, aut gummi optimum* note; videturque prior derivatio melius ad balsama artificialia, posterior vero ad nativa, meumque magis quadrare. vid. Drusus, L. 10 Observat. c. 24, & L. 51, c. 9. Glassius in Philolog. Sacr. Libr. 4, Tract. 1. p. 957.

§ III.

Cum autem multis concretis in medicina & pharmacia nomen BALSAMI imponatur, quæ commodè in nativa & artificialia distingui possunt; jam in præsentia, sepositis artificialibus, tantum de nativo quodam, eoque omnium præ-

stantissimo loquar. Neque vero mihi cum balsamo Peruviano, Tolutano, Capaivano, aut aliis, quibus omnibus sua quoque laus debetur, res est; sed cum illo potius, quod in Arabia a natura producitur, & ab urbe illius regionis celeberrima Mecha, nomen gerit. Dicitur alias, & imprimis veteribus Græcis, Opobalsamum, quasi ὀπὸς τῆ βαλσάμης, non aliter ac opoponax ὀπὸς τῆ πάνακος, non vero, ut Egesippus Lib. 4. c. 17, de bello Judaico vult, ἀπὸ ὅπης τῆ βαλσάμης, a rimā balsami, quoniam per rimam fruticis effluit. Item βαλσαμέλαιον, oleum balsaminum, succus balsami, balsamum Syriacum, Ægyptiacum, Judaicum, Cairinum &c. Germanis der rechte Orientalische Balsam/ vel der wahre Arabische Balsam/ a locis scilicet, e quibus ad nos affertur.

§ IV.

Monendum vero hic est, minus recte, si stricte res examinatur, nomina *Opobalsami* & *balsami* confundi, & utrumque succo illi resinoso imponi: cum potius rectissime, monente Keuchenio, in notis ad Seren. Sommon. p. 87, Balsamum proprie de arbore & planta, Opobalsamum de succo & resina, Carpobalsamum de fructu, & Xylobalsamum de ligno dici debuisse. Attamen error iste, si ita nominandus est, jam fuit veterum poetarum, qui sæpissime hæc duo nomina confuderunt: ut ex illo Martial. Lib. 3, ep. 63. elucet:

Balsama qui semper, cinnama semper olet,
& iterum Lib. 4, epigr. 59,

Balsama me capiunt, hæc sunt unguenta virorum.
Quod verè per hæc opobalsamum intelligatur, ex inscriptione epigrammatis patet: sic Virgil. 2. Georg. v. 118,

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama.

Imo majori adhuc errore laboravit Justinus, qui Lib. 36, c. 3, fruticem nominat opobalsamum & resinam, ex illo stillantem, balsamum. Conferatur Salmasius, in Exercit. Plinian.

nian. supra cap. 35, Solini. Negandum tamen non est, fuisse & accuratiores, qui hoc discrimen observarunt, ut est illud Statii 3, Sylv. 2. v. 141.

Candida felices sudent opobalsama virga.

§ V.

Coeterum in sacris sæpe fit mentio balsami sub nomine יָרֵחַ vel יָרֵחַ verb. gr. Genes. 37, v. 25, c. 43, v. 12. Jerem. 8, v. 22, c. 46, v. 11, c. 51, v. 8, &c. Ubi illud vocabulum ab eruditis interpretibus plerumque vertitur opobalsamum. Hinc ridicula sane est translatio illa in versione hæbræo-germanica pentatevchi, ubi per *theriacam* hæc nomina exprimuntur, cum nemo eruditorum facile crediderit, Jacobi tempore theriacam jam dum fuisse in usu.

§ VI.

Ut autem melius pateat, quid per opobalsamum intellectum velim, locus nunc definitionem exigit, quam ideo exhibeo: *Est Opobalsamum resina liquida, odoris suavis & summe penetrantis, saporisque modice acris & subamari, ex parte dentibus adhaerens, coloris aurei fere; quam frutex, in Arabia felici nascens, vulneratus stillat, sale volatili oleoso & virtutibus plane polychrestis gaudens.*

§ VII.

Genus Opobalsami hujus resinam dixi, quæ, in genere, substantiam æteo-salinam, plus minus solidam aut fluidam, ignis capacem, & in oleis spiritibusque sulphureis promte, in aqua vero ægre, aut plane non solubilem, notat; ut distinguam opobalsamum a gummatibus & gummi resinis, quorum illa facile ab aqua solvuntur, hæ vero non, nisi propter admixtas particulas gummosas salinasque, cum ipsa combinantur. Convenit igitur hujus nobilissimæ resinæ substantia cum terebinthina, & magnam cum ea affinitatem habet. Ut vero consistentiam & externum habitum objecti nostri definiti clarius exponerem, nominavi illud resinam liquidam; quod non ita intellectum volo,

ac si, instar olei alicujus tenerioris, vel spiritus vini, liqui-
quida sit: sed ut innuam, balsamum, si recentius fuerit, ta-
lem aptitudinem fluendi possidere, qualis resinis aliis mol-
lioribus, ἀπέειν, ut volunt, nomen fortientibus, competit:
nec, nisi diu asservatum, demum spissius evadere.

§ VIII.

Quod differentias specificas attinet, desumfi eas
ab odore, sapore, colore, elementaribus particulis, & viri-
bus tribuique ipsi *svavem odorem & summe penetrantem*,
talem scilicet, quem vulgo *balsamicum* vocant. Isque tamen
pro ratione ætatis, variat. Recens enim, & primum e vul-
nere fruticis eductum opobalsamum, tam forti fragrantique
gaudet odore, ut plethoricis, inter odorandum, sanguinem
e naribus elicere soleat. Quod fit, quoniam sal volatile,
cum acido nativo, sulphuris coagulum præstante, nondum
est centraliter remixtum, & hinc illud magis eminet: facta ve-
ro arctiori mixtura, fit mitius, & svavius spirat. Constituit
enim simplex hocce normam & regulam quasi odorum
balsamicorum, ita ut omnes alii secundum hunc mensurari
debeant. Hinc quando terebinthina, v. gr. aut myrrha,
aliaque odorem habere dicuntur balsamicum, tunc indica-
tur, talia concreta ad hujus resinæ modum olere, olfactum-
que grata aliqua ἀναθυμίασι, unicuique speciei propria, af-
ficere. Conferatur Veslingius, Ep. 63. & 65, ubi pro-
lixius de odore agit, dicitque: *fragrantiam habere opobalsa-*
mm optimi olibani & myrrhe ὀσμὴν superiorem.

§ IX.

Saporem quod attinet, descripsi eum in definitio-
ne, quod modice *acris & subamarus* sit. Idem sentiunt, qui
verum & genuinum opobalsamum viderunt, & qualitates
ejus examinarunt, quale etiam Dresdæ vidi. Ex anti-
quis Dioscorides Libr. 1, c. 18, paucis, ast significantibus
verbis, potiores externas qualitates ita effatur: ἐστὶ δὲ ὁ πὸς
καλὸς

καλὸς ὁ πρὸς φάτος, τῇ ὁσμῇ ἔυτονος, καὶ εὐλκρινῆς, καὶ μὴ πα-
ροξίζων, εὐδίνητος, λείος, εὐφών καὶ δάκνων μετρίως τὴν γλῶσ-
σαν: *Est autem succus bonus, qui recens, validi odoris, sincerus, non
ad acorem vergens, dilui facilis, levis, adstringens & modice mordens
linguam.* Inter neotericos unicum adduxisse sufficiat Hoff-
man, in Clav. Schroeder. cui ad latus poni potest Herman-
nus, in Cynos. Mat. Med. p. 277.

§ X.

Cum porro colorem ipsi in definitione aureum tribui,
opobalsamum mediæ ætatis intellectum volo, qualem ne-
que prorsus novum, neque annosius præ se fert. Si enim
adhuc recens, & primum e vulnere fruticis educta est resina,
candida est, secundum Statium, sive lactei coloris, instar olei
olivarum, recenter expressi; ob particulas resinosas,
nondum perfecte cum aquosis remistas. Postquam vero
hoc factum est, in *viridem, clarum, & tandem auream* per-
mutatur. Denique vero, post longum tempus, consumpta
scilicet nativa humiditate aquea, ipsam diluente, non aliter,
ac olea alia destillata & expressa, spissescit, & in melleam con-
sistentiam abit. Et ex hoc fonte conciliandi sunt autores, qui
hac in re valde dissentiunt, alii enim albicans opobalsamum
describunt, ut paulo ante citatus Hermannus, l. c. alii aure-
um, ut Mangetus, in Biblioth. pharmaceutic. alii pellucidum
& limpidum, ut ipse Dioscorides, l. c. Si vero hæc loca de
diversis opobalsami ætatibus intelligo, quemlibet verum scri-
psisse & recte statuisse apparet.

§ XI.

Dixi etiam, resinam gaudere sale volatili oleoso, quod
non minus ex odore & sapore, quam ex ipsis viribus & ἀνά-
λυσιν chymica elucet. Sal enim in ea esse, sapor acris & mo-
dice mordens satis superque demonstrat; cuius etiam ratione
medicamentis, urinam cientibus, & calculum solventibus,
adnumeratur, ipsius Dioscoridis elogio; hæ enim particulae
huic

huic operationi præ aliis velificantur. Sulphur se prodit odore, unctuositate & inflammabilitate; totum enim Φλογισόν ἐστι. Utrumque vero volatile esse, ex odore penetrante colligendum. Hunc enim ponderans Galenus, Libr. 6, de Medicam. simpl. facultat. βάλαμον ξηραίνει καὶ θερμαίνει κατὰ τὴν δευτέραν ἀπόσασιν. Ἐστὶ δὲ λεπτομερές, ὡς ἀρωματίων. Ὁ δὲ ὁπὸς αὐτῷ λεπτομερέστερός ἐστι δυνάμει, ἢ καὶ αὐτὸ τὸ Φυτόν: *Balsamum*, inquit, *desiccatur & calefacit secundo gradu, est autem tenuium partium, ita ut odoratum sit; Succus vero ipsius, magis adhuc tenuior existit viribus, quam frutex ipsius. Quod nihil aliud est, quam opobalsamum habet in se sal sulphurque volatile. Magis vero adhuc id demonstrat destillatio, cujus auxilio, levissimo etiam igne, elicitur oleum odoratissimum; quod sal suum volatile abunde præ se fert, non minus quam illud, quod ex destillatione aromaticum, seminum, corticum, similiumque odoratorum, impetratur. vid. illustr. Wedel, in Schediasmat. de sale volatil. oleos. Præter hoc vero non negandum, esse in opobalsamo quoque fixiores minusque mobiles particulas, non minus, ac interebinthina, quæ in analysi chymica in fundo resident, ad emplastra in variis vulneribus & ulceribus usurpanda.*

§ XII.

Ex his opobalsami descriptionibus, facile cognoscendum est, illud, quod hodie vulgo in nostris officinis, sub huius titulo, venditur, minus esse veterum & genuinum, utpote quod durum & friabile existit, odorem præ se fert styra-cis, cujus & resinam esse puto. Conferatur Mathiolus in not. ad Dioscoridem.

CAP. II.

Patriam, Fruticem, Collectionem, Differentias,
Notas bonitatis & Pretium Opobalsami
exhibet.

§ I.

PAtria & locus natalis genuinus opobalsami a variis auctoribus varius determinatur, ita, ut difficile fere sit, veritatem hac in re eruere. In eo quidem omnes, quotquot sunt, conveniunt, quod pars illa Asia, circa mare rubrum, mediterraneum & sinum Persicum sita, felicissimus tractus sit, qui opobalsamum reliquo orbi communicare possit; in determinanda vero speciali regione maxime dissentiunt. Alii enim Judæam, alii Syriam, alii Ægyptum, alii, & imprimis neoterici, Arabiam felicem, tanquam locum natalem celebrant.

§ II.

Et quidem pro Judæa stant plurimi autores antiquiores, Plinius, Libr. 12, c. 25, & ejus epitomator Solinus, c. 35, Josephus, Libr. 14, c. 7, Dioscor. Lib. 1, c. 18, Justinus, Libr. 36, c. 3, Strabo, Tacitus, alique, qui uno ore profitentur, Judæam locum natalem esse balsami veri; imo nonnulli, quos inter est Plinius, l. c. affirmare vix erubescunt, fruticem illum nuspiam gentium inveniri, nisi in hac sola terra; quod tamen manifesto contra aliorum scriptorum fidem dictum est. Hoc vero istis scriptoribus facile concedo, balsamum in ista regione crevisse, & in hortis, imprimis in campo Hierico in magna copia cultum fuisse; hoc autem quæstionis est, an Judæa genuina ipsius sit patria, & an sponte ibidem natum fuerit, an potius ex alia regione huc sit allatum, quod proba-

bilissimum videtur. Plurimæ enim sunt causæ, quæ huic sententiæ fidem facere possunt, ex quibus duas tantum adduxisse, pro scopo nostro sufficiat. Primo enim omnes peregrinationum descriptores negant, se in hac regione balsamum vidisse. Conferatur Schmetius, in Miscellan. Medic. p. 498. Si vero terra sancta seu Palestina esset hujus fruticis genuina & indigena patria, certe non defuisset, postquam cultura defuit, sed sponte propagata fuisset, & hodiernum esset superstes. Neque enim sufficiunt argumenta, a Clar. Relando in Palæstina prolata, quippe quæ sunt valde infirmia, ideoque refutatione non opus habent. Deinde vero ipsi Judæi negant, vel saltem dubitant, illorum terram esse genuinam patriam. Hinc Josephus, Libr. 8, c. 2, λέγει inquit, δὲ, ὅτι καὶ τὴν τῆς ὀποβαλσάμης ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, ταύτης τῆς γυναικὸς δόξης ἔχομεν: dicunt etiam, quod ex femina illius, balsami arborem, quæ adhuc in terris nostris crescit, donatione habeamus. Loquitur vero de Regina Arabiæ, quæ Salomonem visitaverat. Conferatur Hofmannus, de Medic. officinal. Neque obstat sententiæ huic locus Genes. 43, v. 10, ubi Jacobus, inter cæteros terræ fructus, & balsamum commendat filiis suis ad sumendum secum pro munere in Ægyptum, cum ἡ illud, nomini שָׁרָן præfixum, non sit demonstrativum, ut hujus terræ, sed articuli, ut simpliciter terræ significet. vid. celeberr. Danzius, in Interpret. § 55.

§ III.

Syriam balsami patriam esse, affirmat Theophrastus, qui Libr. 9, c. 6, Histor. Plantar. scribit: τὸ δὲ βάλσαμον γίνεται ἐν τῷ αὐλῶνι τῷ περὶ Σύριαν. *Balsamum in valle Syriae provenit.* Sed quoniam, ipso hoc autore teste, in duobus tantum hortis cultum fuit, verosimile videtur, illud vel ex Arabia, vel Judæa huc fuisse allatum: quæ & sententia est Alpini, in Dialogo de Balsamo.

§ IV.

§ IV.

Neque Ægyptus genuina & indigena balsami patria est. Quanquam enim Dioscorides, & post illum, alii plures id testentur; cum tamen neque Herodotus, neque Strabo, neque Diodorus, qui de Ægypto tam accurate scripserunt, aliquid de balsamo Ægyptio scriptis mandaverint, neque quisquam alius, ante Dioscoridem, quantum recordor; quin & Plinium, tam curiosum harum rerum indagatorem, Dioscoride sesquifæculo fere juniorem, id latuerit, haud dubie colligitur, balsamum Ægypto non fuisse plantam indigenam, sed aliunde postmodum illuc advectam. *Aluit quidem*, inquit Carol. Clusius, in Scholio citato, *Ægyptus loco quodam, Cairo vicino, quem Mathaream appellant, & nunc etiam paucos balsami frutices, sed ex Arabia semper petitos; quemadmodum olim Judea habuit.* Consentientem habet Casp. Hofmannum, de Med. officin. sub tit. Balsami, p. 119, his verbis. *Ex Arabia in Palestinam translata (balsami orbuscula) longo ante Salomonis imperium tempore, duravit ibi usque ad Cleopatram, qua, consensu Herodis Magni, e Judea balsamum in Ægyptum transtulit. Ibi ut hodieque vivit, ita quoties hortulanorum incuria perit, restauratur ex Arabia per Bassas Cairinos, beneficio illorum, qui singulis annis ad sepulchrum Mahomedis peregrinantur.* Confer. Bochartus, in Geograph. Sacra Libr. 2, c. 36.

§ V.

Unica itaque, rejectis aliis, remanet Arabia Felix seu dives, a variorum fructuum copia, & largiori arborum gemmarumq; proventu, ita dicta, quas inter non minimum certe locum occupat balsami frutex, qui huic regioni quasi propria est, ut omnes aliæ regiones balsamum huic ferant acceptum. Quanquam enim Theophrastus Libr. 9, cap. 6, Histor. plantar. scribat: *Ἀγρίον δὲ ὁδὲν εἶναι βάλαμον ὁδεμὶς balsamum nullibi sylvestre esse*, tamen id de hac regione, cum multis eruditis ἀνθρώποις, statuere vix dubito. Antiquissimis enim

jam temporibus hanc ob causam celebris fuit ista regio, adeo, ut Scriptores denominationem temporum hinc petierint. Sic enim Pausanias, in Bæoticis : ἐπὶ τὴν ἐν συλλέγειν τῷ βαλσάμῳ τὸν ὅπον ἀφίκεται τοῖς Ἀραβῶν ὥρα : *Cum Arabibus balsami succum legendi terapus venit.* Adjiciunt, ex veteribus, huic sententiæ calculum Diodorus Siculus, ex recentioribus, Prosper Alpinus, Veslingius, Bellonius, Volckamerus, Clusius, Fridr. Hofmannus in Clave, aliique plurimi. Neque re ipsa, quanquam verbis, dissentit Casparus Hofmannus, l. c. cum ex Arabia Petræa opobalsamum ad nos afferri sentit : cum differentia in eo tantum sita sit, quod Mecham, quæ ipsi veterum Petra est, circa quam maximus illius fruticis & succi proventus est, ad Arabiam Petræam, quod aliqui faciunt, retulerit, alii vero ad Felicem scribant, de quo vid. Geographi.

§ VI.

Nostris in regionibus, inter rarissima exotica, vix in hortis divitum & Magnatum hætenus reperitur. Plantam hanc vivam Prosperum Alpinum aluisse, pluribusque visendam & opobalsamum, ex illa stillans, exhibuisse, scribit Hofmannus in Clave Schroeder. p. 576. Num hodie in horto medico Leydensi reperiat, quod aliqui affirmant, non constat, cum Hermannii tempore eam ibidem nondum extitisse, ex catalogo horti Lugduno Batavi colligere detur.

§ VII.

Est autem BALSAMUM arbuscula fruticosa, in eo viti similis, quod & amputari amet, & vinearum in modum, colles impleat ; duorum aut trium cubitorum altitudine, multis ramulis iisque valde gracilibus gaudens. Cortex viridis in novis furculis & glaber, in veterioribus canus & rugosus est ; ad instar aliorum, qui resinam fundunt, digitis tritus, valde odoratus, sapore thuri similis. Sub hoc lignum, duorum digitorum, ut plurimum, crassitie, fulvum & subrubrum, resinosum, si bonæ notæ, & aliquatenus opobalsamum spi-

spirans, *Xylobalsamum* quod vocatur. *Folia* habet pauca, absque ordine fere posita, terna, quina, septena, singulis aliis adnata, rutam æmulantia, nisi, quod his sint albidiora; si dissecantur, lactescunt, cum egregio odore aromatico. Viriditatem servant perpetuam & illibatam; ob particulas scilicet resinosas & calidum innatum, quod frigori perferendo par est. Pena & Lobelius tradunt, folia balsamum exuere Decembri, & Martio nova protrudere; contra fidem aliorum autorum. Sed hi aut erronei fuere circa arboris speciem, aut de illis individuis sunt locuti, quæ in nostris terris habentur, quæ naturam suam hac in re facile exuere possunt; non aliter ac terebinthus, quæ in solo natali semper viret, in horto vero Gothano folia deponit, vid. Dissertat. sub Præsidio Wedeliano de terebinthina hic ventilata. *Flores*, secundum Alpinum αὐτόπῃν, fert albos, parvos, quasi in umbellæ formam positos, tres potissimum in singulis alis, acaciæ proximos, & valde odoratos. Hos contra morem, umbellarum, tetrapetalos, petalis rotundis constantes, quidam vocant: cum tamen, si ad fructum siliquosum quispiam respexerit, eos tetrapetalos potius irregulares; ex figura autem, apud Theophrastum, p. 999. conspicua, polypetalos stellatos pronunciandos esse pateat. Mihi, silente Morissonio atque Turnefortio, ad exemplum Raji, αὐτοψία destituti, hic certi quidpiam definire non licet. Post casum floris, proveniunt *Semina* flava, folliculis nigris, siliquosis, subrotundis, magnitudine unius digiti, subrubentibus, contenta, *carpobalsamum* vocata, itidem odorata, intus humorem flavum, melli similem habentia, sapore amaro, parumque acri linguam ferientia, uti, eleganter satis, pro more, Wormius in Museo p. 223, præeunte Alpino, demonstrat.

§ VIII.

Hæcarbuscula mensibus æstivis, & imprimis Julio & Augusto, luna existente plena, & æstu maxime urgente, in
par-

parte inferiori inciditur. Perinde est, num incisio fiat ferro, an offe is cultellis, lapidibus, aut vitro. Quanquam enim Plinius, loc. cit. posterius potius commendat, & ferro vitalia lædi scribat, quod Solinus, tanquam fidus ejus epitomator, confirmat; tamen cum Theophrasto, Dioscoride & recentioribus, nulla instrumenti electione opus est, modo scindens caveat, ne ultra corticem illud inserat, quod plantæ exitiosum evadit. Ex hoc vulnuscule, facta scilicet ab æstu solari humorum rarefactione, emanat liquor supra descriptus, ab omni sæculo in magno pretio habitus, & *opobalsami* nomine veniens.

§ IX.

Quod autem emanat, teste Theophrasto, l. c. multum non est; imo, si Dioscoridi fides est habenda, tam parca provenit stilla, ut singulis annis, ne plures quidem, quam seni septenique congi cogantur: hinc quando alii spatio trium horarum, duodecim hujus liquoris libras effundi scribunt, immane quantum, quoad ponderis quantitatem lapsi videntur; cum arbusculæ magnitudo & textura omnino tenera, hinc & opobalsamiraritas & charitas, aliud contrariumque svadeat.

§ X.

Differentias hujus vegetabilis quod attinet, diverso respectu & ex diversæ sunt. Ratione enim fruticis, Plinius Libr. 12, c. 25, tres constituit: Arboris tria genera, inquit, unum tenui & capillacea coma, quod vocant *Eutheriston* (quod Dioscorides *theriston* tantum nominat) alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius, quod *Trachy* appellant; tertium *Eumetes*, quia est reliquis procerius, levi cortice. Consentit cum hoc Dioscorides, Libr. 1, c. 18 : διαφέρει αὐτὸ ἐαυτῶν τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχυρότητι, *differt*

fert balsamum a se invicem scabritia, proceritate, & gracilitate. At-
tamen, quoniam omnes species memoratorum fruticum o-
pobalsamum fere ejusdem bonitatis fundere dicuntur, ideo
minoris momenti, & hortulanorum tantum ista distinguendi
ratio esse videtur.

§ XI.

Altera differentia ipsam concernit refinam, &
ex modo eam colligendi resultat, cujus meminit Busbe-
quius, epistol. 4, de rebus Turcicis, p. 431, his verbis:
Duplex ejus fruticis succi genus, (de Opobalsamo loquens) u-
num, quod ex oleo decoctorum foliorum cogitur, quod nigrum est &
vile; alterum flavum, quod ex vulnere incisi corticis stillat; quod est ge-
nuinum. Sed quoniam parum vel nihil illius nigricantis bal-
sami ad nos affertur, non erimus in describendis ipsius qua-
litatibus magis, quam par est, solliciti.

§ XII.

Tertia differentia a solo natali petitur. Quanquam
enim sola Arabia felix sit genuina balsami patria, tamen ne-
gandum non est, aliis in regionibus illud etiam coli. Hinc
nascitur differentia, ut aliud opobalsamum Syriacum, aliud
Ægyptiacum, Judaicumque aliud & Arabicum audiat; quæ ta-
men cum frutice & virtutibus non adeo differant, hinc di-
stingui vix merentur.

§ XIII.

Adduximus in capite primo notas characteristicas, ex
odore, colore, consistentia, sapore &c. opobalsami fumen-
das, quapropter adhuc de reliquis bonitatis notis dicendum
erit: quarum certe non ultima est, cujus Dioscorides, l. c.
mentionem facit; quod scilicet nullam in vestibus de se ma-
culam relinquat, si ipsis instilletur: quod & in oleis destillatis
æthereis lavendulæ, cinnamomi & reliquis vidi, & puri-
tatem ipsorum denotat. In aquam instillatum, si recens &
mediæ ætatis est, supernatat, & per totam superficiem se ex-
pan-

pandit, immisso vero stylo omne iterum adhæret, ob particulas scilicet resinosas, cum gelatinosis ita mixtas, ut nullo modo cum aqua sint miscibiles : annosius vero fundum petit, ob amissas particulas leviores & subtiles, remanentibus crassioribus & ponderosioribus. Lacti instillatum opobalsamum, aliqualem ipsi coagulationem infert; de qua vid, Dioscorides, l. c,

§ XV.

Ad pretium quod attinet, illud variat, pro diversitate opobalsami, ementis & vendentis. Communiter tamen in natali loco duplo argenti pondere redimitur illud, quod bonæ notæ existit. Et hoc pretium priscis jam temporibus in usu fuit. Sic enim Theophrastus, l. c. *πωλεῖσθαι δὲ τὸ μὲν ἀκράτον δις πρὸς ἀργύριον, vendi syncerum duplo argenti.* Quod confirmat Dioscorides, l. c. *πωλεῖται ἐν τῷ τόπῳ σάθμος αὐτῆς πρὸς διπλὴν ἀργύριον venditur in loco natali pondus ipsius duplo argenti.*

§ XVI.

Ceterum memorabile adhuc est, quod hujus fusticis umbram serpentes & viperæ amare soleant. Meminit hujus rei, Pausanias, in Boeoticis, Libr. 9, ἐν τῇ χώρᾳ τῇ Ἀράβων, ὅσοι τῶν ἐχέων περὶ τὰ δένδρα τὰ βάλσαμα οἰκῶσι: *In regione autem Arabum, quotquot viperæ circa balsami arbores habitant.* & paulo post: *τρεφῆ γὰρ ἐστὶν αὐτοῖς ὁ τῶν βαλσάμων ὁπὸς ἡδιστος: est enim liquor balsami cibus ipsis longe suavissimus.* Num pari veritate id fiat, qua in nostris terris bufones circa radices salviæ nidulari dicuntur, in medio relinquo: videatur, præter Hofmannum in Clave, p. 538. Mejerus, de insectis Medicis,

CAP. III.

Temperamentum, Vires & Usus Opobalsami ostendit.

§ I.

Temperamentum, quod nihil aliud est, quam peculiaris in quolibet alimento & medicamento principiorum constituentium miscela, a qua fluidæ potissimum, hinc & solidæ partes in corpore humano diversimode afficiuntur, nunc considerandum est. Hoc enim in genere quasi demonstrat vires mixtorum, & statim indicat, ubi, in quibus morbis, & subjectis medicamentum aliquod sit adhibendum. Est itaque opobalsamum, ut receptam loquendi methodum retineam, calidum & siccum secundo, vel potius tertio gradu; quod innuit, activum id quidem esse per has qualitates, absque tamen corporis utentis noxa atque damno, nisi in dosi excedatur.

§ II.

Calidum id diximus, ob particulas sulphureas volatiles, & vires in corpus humanum inde emergentes. Siccum eo respectu dicitur, quod humidum in corpore non modo non auget, & defectum ipsius restituit, sed & illud absumit, per transpirationem sensibilem atque insensibilem, urinariaque itidem vasa difflat & ejicit, unde variæ ipsius emergunt operationes. Consentit in hac re Galenus loco supra p. 10, adducto, nec non Dioscorides l. c. & Margravius in mat. med. concentrat. Hinc in genere virtus calefaciendi, incidendi, attenuandi, resolvendi, aperiendi & roborandi in ipso est.

§ III.

Ex hisce fundamentis bezoardicum & alexipharmacum est

est egregium. Cum vero hæc triplicis sint generis, volatilia, media & fixa, mediis opobalsamum adnumeramus, utpote, quod blanda sua vi diaphoretica, sudorem promovet, & particulas, in MSea turbas facientes per emunctoria cutis, disjicit, diffilat & secernit, simulque vi sua balsamica colorem vitæ roborat, ne quid detrimenti capiat.

§ IV.

Generosum hinc est remedium in *peste præcavenda & curanda*; febribus item malignis, petechialibus, morfibus viperarum, canis rabidi, scorpionum, aliorumque animalium, interne propinatum, & externe vulneribus impositum. Persæ in his morbis admiscere solent confectionem principum, theriacam & mithridatium, idque non incongrue, ut prolixè docet Angelus de St. Josepho, in pharmacop. Persica. Singulare quoque celebratur a Tabernamontano antidotum in esu napelli lycoctoni, cum melle, ruta, & pimpinella ana ʒj. & a Dioscoride datur, contra aconitum haustum in lacte: conferatur Plinius, libr. 23, c. 4.

§ V.

In *cerebri & nervorum affectibus* frigidis egregium est remedium, utpote quod non modo sale suo volatili oleoso nervos obstructos aperit, roborat, & debilitati ipsorum medetur; sed & ipsos spiritus, in generatione sua impeditos, excitat, motusque eorum deficientes inordinatosque corrigit. Salutare itaque est in cephalalgia, hemicrania, a causa frigida, vid. Serenus Sammon, c. 3, in apoplexia, paralyfi, memoriæ debilitate, morbo comitiali, vertigine, incubo, & affectibus soporosis. Memoratu quoque dignum est, his in affectibus non modo interne, sed & externe adhibitum, inque aurem cum bombace impositum, ob particulas subtiles maximeque penetrantes, istud partes suas implere. Testatur id, ab experientia edoctus, Medicorum Virgilius Serenus Sammonicus, c. 1, de capite medendo:

*Balsama si geminis instillans auribus indas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.*

Qua ratione etiam in *affectionibus aurium & auditu impedito* valet, siue solum id adhibeatur, siue cum oleo acustico simplici & composito Wedelii mixtum applicetur. Nec in *affectionibus oculorum*, nubecula scilicet & videndi debilitate contemnendum est, quod, prater quotidianam experientiam, Dioscorid. l. c. & Plinius, Libr. 23, c. 4. docent. Misceri hinc commode potest cum pinguedine viperarum, quæ & sola remedium ophthalmicum nobilissimum præbet.

§ VI.

Quanto difficilius est, inter *morbos pectoris*, in specie pulmonum vitia curare, quod, prater alios, egregie quoque demonstrat Baglivius, Libr. 1, praxeos c. 9, § 1, de pleuritide, tanto certe majori ea medicamenta sunt habenda in pretio, quæ his in morbis singulare quid efficiunt: inter quæ opobalsamum etiam a Plinio & Dioscoride pariter ac neotericis celebratur. Hinc in phthisi pulmonali, maximum officium præstat, cum plerisque fere indicationibus satisfaciat. Blanda enim salina amaritie abstergit ulcus, idque sulphuris balsamici vi traumatica consolidat, simulq; ægrum roborat. vid. Plinius, l. c. Wedelii Praxis clinicæ, de phthisi, & D. Hundertmarcks Medicinischer Extract, c. 8, de Phthisi. Et ex eodem fundamento, longeque facilius, simplicibus pulmonum abscessibus indefinitis pariter ac definitis, quos vomicas vocant, nec non asthmati, catarrho suffocativo, similibusque succurrit; ubi, pro ratione circumstantiarum, cum liquidis, elix. pectoral. spirit. salis ammon. anisat. ess. gumm. ammoniac. lignor. myrrhæ, & quidem cum talibus difficilius, promptius autem cum saccharo & pulveribus variis miscetur. Sic scimus, magnific. Wedelium nuper mulieri, asthmate priodico labo-

ranti pulv. pectoral. resolv. bezoard. Jovial, pulv. cachect. cinnabaris, ana ʒi, cum balsami de Mecha gr. iij l. iij mistam, optimo cum successu præscripsisse.

§ VII.

Ex elementis Opobalsami fluit *cordialis* ejus virtus, ut *analepticum & confortans* summum salutetur, spiritus vitales enim per explicationem sulphuris ac salis in sanguine augendo, & in justum motum excitando, cordi non solum, sed & toti quoque inservit corpori, ideoque remedium evadit præcipuum in lipothymis, debilitate virium &c. Utile præcipue in senibus, a causa frigida affectis. Miscetur cum essent. ambr. mari, cinnamom. spirit. salis ammon. aromat, pulv. absorbent. confect. alckerm. aliisque, vid. Rolfinckii Ord. & Meth. commendat. Libr. 8, Sect. 2, c. 1, p. 710.

§ VIII.

Stomachicum porro & *carminativum* est medicamentum, nulli secundum; sale enim blando volatili resolvit flatus, roborat ventriculum, ne in tanta copia illi provenire possint; quia coctionem juvat & calorem auget. Hinc chylicationi læsæ, cardialgiæ, inflationibus ventris, & omnibus flatuum molestiis, a causa frigida ortis, medetur, in & externe, cum oleo carminativo Myns. ess. carminat. Wedel. ess. amar. aliisque adhibitum.

§ IX.

Est etiam opobalsamum *diureticum* egregium. Ratione enim salis volatilis serum non modo fundit & sic ad exitum componit; sed & partes ipsas roborat, & viscidam materiam obstruentem resolvit, ut illæ tanto melius secernere possint serum superfluum. Facit hinc officium in calculo, urinæ difficultatibus, morbis venereis, gonorrhoea simplici & maligna, fluore albo simplici itidem & maligno &c. Observatur, post ipsius usum, odor urinæ violaceus, qui ab intime resolutis par-

particulis salino sulphureis, provenit, quod cum terebinthina, oleo juniperi, & aliis commune habet.

§ X.

Præter hos vero laudatos effectus, in *morbis mulierum* quoque est remedium non spernendum. Aperit enim & roborat, resolvitq; pituitam viscidam, uteri poros referat, & *ὀρυγασμὸν* sanguini conciliat. Commendatur hinc in movendis mensibus, & chlorosi virginea, fluore albo (quod jam supra sub usu diuretico diximus) pellendo foetu & secundis. Sic modo laudatus Wedelius in fluore albo comendat balsami de Mecha ʒj, cum olei cubebæ .gt. iij. misturam cujus Dos. vi gtt. Imo Alpinus refert mulieres in Ægypto sterilitatem arcere, opobalsamo epoto, supposito, & suffitu partibus genitalibus admissio, felici omnino successu. Neque hoc fit sine ratione: dum enim tubulos obstructos uteri referat, elaterem ovarii in ordinem vocat, caloremq; uteri auget, non potest non bonum edere effectum; maxime ubi universalia, VSio, purgantia, balnea, & alia uterina ac nervina concurrunt,

§ XI.

Præterea *aphrodisiacum* opobalsamum est, venerem animans appetitum in utroque sexu, præsertim si impotentia a causa frigida ortum habuerit; quod senibus admodum familiare esse solet. Quemadmodum vero aphrodisiaca triplicis sunt generis; prima scilicet pars ipsorum agit semen in copia augendo, altera nervos & fibras roborando, & tertia stimulo, ita solum opobalsamum omnibus satisfacit. Dum enim calorem debilem auget, & sic coctionem seminis promovet, ad primum, tum nervos roborat, ad alterum, & tum sale suo subacri stimulat, ad tertium genus referendum est. Non enim solum stimulat & sic magis molestiam creat, quod a pipere & cantharidibus fieri solet; sed dicto modo nervis

& spiritibus succurrit, frigiditatem corrigit, & torpori fibrarum mederur. Commode hinc misceri potest morsulis, tragæis & rotulis stimulantibus, cum speciebus diamari, diambrae, diamosch. diacubeborum, lætificant. Galen. confession. alckerm. & similibus aliis. Sic scio virum primum, qui elæosachare ex opobalsamo quotidie utitur, optimo successu.

§ XII.

Anthelminticum quoque est opobalsamum egregium, si amaritiem & sal volatile sulphureum spectes, utpote vermibus maxime contraria existentia. Taceo vim ipsius *febrifugam*, de qua Plinius, l. c. nec non *antiscorbuticam* & *antiarthriticam* in doloribus ischiaticis, ubi, si non omne absolvit punctum, tamen cum aliis consulto in usum trahitur.

§ XIII.

Utendi modum internum opobalsami quod attinet, is est vel solitarius, vel cum aliis. Si solitarie & sine primario id fiat, datur â gt. V. ad XII. vel XV. Quanquam vero non desint medici, qui id ad 3ß. l. 3j. svadeant, tamen id vix tuto fit, cum semper melius sit infra summam consistere dosin, & pro circumstantiarum modulo id repetere, quam simul & semel supra modum ascendere. Cum aliis si detur, minuenda est dosis, pro indicationum & medicamentorum remixtorum varietate. Sic v. gr. datur cum Tinct. bez. elix. pectoral. ess. carminat. spiritu salis ammon. pulv. bez. maj. minor. pectoral. stomach. Qvercet, ut gt. j. vel ad summum ij pro dosi sint. Imo, quoniam in pauca quantitate est activum medicamentum gt ß vel tertia pars, in aliquibus casibus, sufficit, quod in pulveribus & alias optime fieri potest. Ad vehiculum quod attinet, variat illud, prout morbus varius & diversus est. Sic si nihil ob-

stet

stet vinum commodè eligitur, vel, si hoc non liceat, cerevisia, decoctum herbarum thee, vel quodcunque aliud, morbo specificè accommodatum. Dioscorides & Plinius lac commendant; quod tamen promiscue concedendum non est.

§ XIV.

Præterea quoque inter EXTERNA medicamenta non immerito referendum est opobalsamum. Si quidem mundificans est egregium, traumaticum maxime salutare, & pægoricum denique dolores mitigans nulli secundum. Singularem vero in vulneribus opobalsami usum, ipse testimonio suo suffulcit Spiritus sanctus, qui aliquoties in gravioribus vulneribus moralibus ad illud provocat, v. gr. Israelitarum, Jerem. 8, v. 22, c. 46, v. 11. Babyloniarum c. 51, v. 4. Ex quibus elucet, illud tum temporis in his casibus maxime fuisse adhibitum a Judæis. Neque dissentiunt hac in re scriptores profani, Dioscorides, Theophrastus, Plinius alii-que plurimi, & ex recentioribus Hofmannus, in Clave, Mangetus, in Biblioth. pharmaceut. Alpinus, in dialogo, Veslingius in vindiciis opobalsami, Volckamerus, & Scaliger in exercitationibus contra Cardanum, Exercit. 157, qui ultimus maximum periculosissimumque sub oculo sinistro vulnus sibi opobalsamo curatum fuisse testatur. Et hoc non modo præstat in vulneribus simplicibus & carnosissimis, sed & aliis longe periculosioribus, nervorum scilicet, tendinum, & cerebri gravioribus, imo ipsis venenatis, in morsu canis rabidi, viperarum, scorpionum &c de quibus in superioribus egimus.

§ XV.

In ulceribus antiquis & sordidis quoque egregie se gerit balsamum; mundificat enim illa, & visua balsamica condit quasi, ut eo melius labia adduci & conglutinari possint. Miscetur hinc commodè cum aliis unguentis mundi-

D

fican-

ficantibus & abstergentibus, v. gr. ægyptiaco, apostolorum, fusco Wurzii, aliisque huic fini inservientibus.

§ XVI.

Ufus denique opobalsami *antiloimicus* est notandus. Tempore enim pestis, præservandi fine. medici & alii, qui circa infectos esse debent, illinunt nares, tempora & pectus aut solitarie, aut cum aliis balsamis hujusmodi remixtum; Sic enim venenati halitus corriguntur, antequam ad pulmones transeunt. vid. Rolsinc. Ord. & meth. Com. Libr. 10, Sect. 1, c. 10.

§ XVII.

Præter hos usus vero alium habet, magis ad gynæceum, quam ad medicinam pertinens, *cosmeticum* scilicet, qui hætenus inter rariora & secreta faciei medicamina habitus fuit. Resolvunt scilicet in spiritu salis ammoniaci inflammabili tantum opobalsami, quantum imbibere valet, & postea cum aqua rosarum, sigill. Salom. flor. fabar. spermat. ranar. in egregium lac præcipitant cosmeticum, elegantem nitorem & albedinem cuti concilians, simulque maculas abstergens, & rugas faciei complanans. Tacemus usum in ungendis Regibus & Sacerdotibus, quod olim in Judæa maxime; & nostro tempore, Wilhelmo, Angliæ Reg. factum esse scio; in balsamandis corporibus, gravis oritur quæstio: an Mumia Ægyptiorum regis hujus liquoris beneficio fuerint balsamata, nec ne? quam tamen, tanquam magis curiosam, in aliud tempus differimus.

CAP. IV.

Præparationes & Compositiones, quas ingredi-
tur Opobalsamum, ejusque ἀντιβαλλόμενα
exponit.

§ I.

Quanquam opobalsami substantia, a natura ipsa ad justum puritatis gradum evecta sit, ut cruda, vel, ut medici loqui amant, *in substantia*, absque ulla præparatione in usum vocari possit; cum tamen in superioribus fecerimus mentionem destillationis, cujus beneficio particulæ volatiles magis secernuntur, relictis in fundo fixis & emplasticis; ideo verbo innuimus, hujus destillandi rationem nihil a terebinthina differre: videatur Stisserus, in Laboratorio chymico. Specimen. 3, c. 10, & Hermannus, in cynos. mat. Medic.

§ II.

Magis vero æstimanda est ESSENTIA, quando opobalsami parti uni, septem vel octo spiritus vini tartarificati affunduntur, quæ a soluta penitus hac purissima resina, colore ex flavo rubescente tingentur, nullis in fundo fecibus relictis, quibus ea, æque ac balsamum de Capaiva & camphora, destituitur. Usurpatur talis essentia fere in omnibus hætenus memoratis affectibus, in quibus opobalsamum ipsum commendatum fuit, commodiusque cum aliis medicamentis, per conforme menstruum paratis, miscetur. Inde in chlorosi, cum metu phthiseos illustris Wedel. de morb. mulierum: R. elix. pectoral. ʒiij. ess. theriacal. bals. ʒj. spirit. salis ammon. anisat. ess. opobals. ver. ana ʒß. M.

§ III.

Observandum vero, posse & essentiam hanc fieri, dicto modo, simplicem & compositam, junctis opobalsamo cephalicis, stomachicis, nervinis, diureticis, bezoardicis & alexipharmacis, quorum egregium certe exemplum præbet, *Tinctura bezoardica essentificata Wedeliana*, cui ad latus poni potest, ejusdem *theriaca cœlestis*, in peculiari de hoc extracto dissertatione communicata, quibus opobalsamum non minus suavitatem, quam virtutes communicat egregias.

§ IV.

Præterea in electuaria quoque alexipharmaca & antidotalia, præsertim a veteribus recipitur, quorum exempla præbent, thesauraria quasi simplicium medicamento-
rum, Theriaca & Mithridatium, quæ maximas virtutes in specie contra venena ab opobalsamo habent; ita ut Medici omni ævo solliciti fuerint, quo genuinum opobalsamum ad theriacam impetrarent. Imo Galenus, ut supra jam innuimus, videre voluit balsamum refinam sudantem & illam loco regulæ habere, ne adulteratum pro vero agnosceret. Postquam vero barbari Europam occupaverunt, silentibus, cum studiis & bonis artibus, etiam commerciis, per multa secula ne gutta quidem genuini ad nos delata est. Anno vero 1640, cum per navigationes Venetas bona ejus quantitas in Italiam adveheretur, pharmacopoei aliqui, potissimum Romani, non sine consilio medicorum, id compositioni theriacæ indiderunt. Cum vero id innotesceret reliquis, non defuerunt tam ex Medicis, quam pharmacopoeis, qui hoc institutum valde improbarunt, nescio quibus rationibus sententiam suam comprobantes. Donec tandem res ad summum Pontificem delata, qui tum temporis Urbanus octavus erat, (ac si scilicet Papa etiam in his rebus infallibilis esset,) qui, cum

cum, ob materiæ difficultatem, nihil moliri auderet, utriusque sectæ consensu, elegit Petrum Castellum & Joh. Veslingium, viros isto tempore in his studiis consummatissimos. Ambo vero hoc legitimum opobalsamum esse statuerunt, & scriptis probaverunt, quod theriaca, quæ hoc ingrediens agnosceret, reliquis sit præferenda, vid. Hofm. de Med. Offic. & Rolfinc Ord. & Meth. Lib. 10, Sect. 1, c. 12.

§ V.

Ingreditur quoque trochiscos hedichroos Mesve & Galeni, & per consequens omnes alios, quæ hos sibi remixtos habent, Confectionem auream Alexandrinam Nicolai, Confectionem Principum, aliasque; quas tamen, quia non adeo officinales sunt, lubens præmitto.

§ VI.

Quoniam autem non omni loco, neque omni tempore haberi genuinum opobalsamum potest, medici pariter ac pharmacopoei de succedaneo, quod, si non omnes, quod vix sperandum, tamen plerasque ejus vires possideret, solliciti fuerunt. Hinc diversa substituerunt ἀντιβαλλόμενα, ut quilibet fere, pro suo captu, novum excogitaverit. Sic enim Zwelferus oleum nucistæ expressum, Doringius oleum succini rectificatum, cum quo etiam Mangetus in Biblioth. pharm. facere videtur, Valerius Cordus oleum caryophyllorum, Galenus (nisi liber, de suppositiis medicamentis, ipse supposititius sit) oleum irinum, Nicolai & Bartholinus, oleum juniperi, alii terebinthinam, alii oleum hyperici, substitui commodissime putant.

§ VII.

Cum vero unica potius admittenda sit veritas, &, teste Christiano Wedelio, in dissertatione de theriaca, hodie non opus sit succedaneis in ipsius compositione uti, æquum est,

ipsum opobalsamum recipere. Quodsi vero plane haberi nequeat, commodissime ipsius loco balsamum aliquod naturale, Tolutanum v. gr. vel Capaivanum, quæ proxime ad verum accedunt, substituendum, vid. Etmullerus Comment. in Schroeder.

§ VIII.

Non defuerunt denique olim Medici, qui videntes, opobalsamum haberi minus posse, analogon tale per distillationem variorum simplicium quesiverunt. Duæ jam occurrunt compositiones tales, quas huc, coronidis loco, transcribam. Primam communicat Matthiolus, in notis ad Dioscoridem, sub balsamo, sequentem in modum : R. resin. terebinth. abiegn. ana ℥. j. thur. alb. ladan. ana ʒvi. nard. Indic. ʒij. radic. Phu. irid. acor. asar. cyper. ana ʒj. mastich. Galang. caryoph. cass. odorat. Zedoar. ana ʒvi. nuc. myristic. ʒ IV. castor. ʒx. off. cariotar. styrac. calam. laseris ana ʒj. mac. ʒj. agalloch. ʒij. gum. elemi ʒvi. aloes hep. myrrh. ana ʒi℥. sangv. dracon. ʒvi. fl. lavendul. ʒlv. ol. ungvent. gland. ʒvj. Conc. Cont. M. destill. per retortam, igne arenæ legitimis gradibus, sic prodibit primo aqua, 2) oleum flavum, & 3) rubrum quod balsamum vocat; gravissime potius foetens, ex tot combustis concretis resultans, oleum empyreumaticum appellandum potius. Altera compositio est Eurici Cordi, a Valerio Cordo in dispensatorio descripta, quæ liquorem spirituosum non contemnendum, & sub finem distillationis oleum aromatici odoris, & tandem essentiam myrrhæ, opobalsami titulo, uti videtur, condecoradam, offert, estque sequens : Rec. irid. Jlyr. zedoar. cubebar. cardamom. maj. min. agalloch. olei benezoin. ana ʒiij. Caryoph. Nuc. M. mac. gran. juniper. cass. cinnam. santal. cit. benz. ana ʒij, croc. asar. majoran. schœnanth. nard celticr. ofar. rubr. cyper. long. & rot. ana ʒj. camphor. ʒij. Mosch. ʒj. Hæc omnia trita
ma-

macerentur in vino rhenano, ter sublimato, octo dies, postea diligentissime destillentur in balneo. Destillata deinde aqua vitæ, ut quondam spiritus vini audiebat, quæ primo exierit, cape ℥vj, in quibus dissolve myrrhæ optimæ candidissimæ electæque ℥ij, sic tenuissima & præstantissima pars myrrhæ aqua vitæ miscetur, crassior vero, instar fecis subsidet, quæ nequaquam est separanda aut colanda : quoniam in fundo dimissa ipsum *opobalsamum* aliquod annis conservabit incorruptum.

§ IX.

Priusquam finem diatribæ huic impono, verbo monendum puto, non æque illos superiorum seculorum scriptores esse imitandos, qui in justo minori pretio, pretiosissimum *opobalsamum* habentes, ejusmodi illud compositionibus admiscuerunt, in quibus heroici illius medicamenti præsentia plane non desideratur. Exemplum sistunt trochisci *Διαίον*, corrupte Diavi & Diani audientes, ad calorismigationem & ventrum molliendum, ex prorsus difformibus & discordantibus concretis, alvum scilicet laxantibus, flor, scil. viridium violarum drachmis quinque, & todidem rhabarbari scrupulis, eandemque firmantibus drachmis tribus amyli, seminis papaveris albi scrupulis septem, & plantaginis drachma una, cum rhodostagmate compacti, quibus, absque ulla ratione, *opobalsami* scrupulus admixtus, tanquam margarita, super sterquilinum projecta, reperitur.

S. D. G.

Syncope de medio, vulgata paroemia, tollit,
Balsama dant vires, cor, animumque beant.
Heinsius in cathedris utroque est nomine cla-
rus,

Novit quæ profint, tollere quæ noceant.
Quid deceat Phoebus decernit, ut arbiter æ-
quus;
Hoc doctum cingat clara tiara caput.

*Clarissimo Domino Doctorando fausta
& amica gratulationis ergo
scribebat*

**GEORGIUS WOLFGANGVS
WEDELIVS.**

Corporis interitum perituri balsama tollunt,
Nunc eadem faciunt, ne Tua laus pereat.

*Clarissimo Dom. Doctorando, honoris meri-
tissimi, affectus & gratulationis benevole
causa scripsit*

IO. ADOLPHVS WEDELIVS
D. & P. P.